

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XXI. Continens Historiam Legationis A Synedrio Hierosolymitano Ad  
Baptistam Missae, Johann. I.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

verò ipse unigenitus filius explicatè, quantum  
hujus vitæ conditio ferre potest, enarravit. 3. O-  
stendit hæc sententia, ea, qua Christus enarr-  
vit, vera, certa, rata, necessaria, utilia, efficacia,  
salutaria & sufficientia esse. Unigenitus enim fi-  
lius, qui in sinu patris est, ipse enarravit nobis.  
Ut quid igitur hominum traditionibus circum-  
feremur, relicto verbo Christi, quod excellen-  
tissima habet privilegia? Et Christus ipse hoc  
privilegium de doctrina sua sæpe allegat, ut  
Johan. 3.v.11. Quod vidimus, testamur, Joh. 6.  
v. 46. Non quod quisquam viderit Patrem:  
sed qui à Deo est, is vidit Patrem, Matth. 11.v.  
27. Nemo novit Patrem nisi filius, & cui filius  
voluerit reuelare. Porro utrumque in hac sen-  
tentia intelligi potest, & quod ab initio post la-  
psum, & toto tempore Veteris Testamēti uni-  
genitus filius fuerit illa persona, qua ex sinu  
æterni patris decretum de redēctione seu pro-  
missionem Evangelii protulit: & quod incarnatus  
planius & plenius mysterium illud enarr-  
vit. Præterea etiam commendat hæc senten-  
tia dignitatem & excellentiam Christi, pra re-  
liquis Doctoribus quo ad personam. Moses  
enim servus fuit: & reliqui Prophæta ministri.  
Christus verò est filius. Non sicut credentes  
adoptione fiunt filii Dei: Sed est (*unigenitus filius:*)  
hoc est, genitus peculiari modo, quo Pater uni-  
cū tantum illum filium, & non reliquos ado-  
ptivos filios genuit, ut esset connaturalis & con-  
substantialis Patri.

Addit autem Baptista, (*Qui in sinu Patris est,*)  
qua significat essentia & naturæ unitatem. In  
Deo enim nihil est, nisi essentia ipsius. Dicit  
autem ὁ ἀπόστολος. Et usitata quidem apud  
Græcos interpres est hæc Enallage, Genes. 2.1.  
v. 2. εἰς τὸ γῆρας, in secentute. Iud. 12. v. 6.  
quicunque inventus fuerit εἰς πόλεις, in civitati-  
bus. 2. Paral. 6. v. 21. Si oraverit εἰς τόπον, in  
hoc loco. Ezech. 29. v. 6. habitantes εἰς αἴγυ-  
πτον, in Egypto. Existimo tamen Baptista ita  
voluisse loqui, ut aliquo modo exprimeret es-  
sentiæ unitatem, & distinctionem personarum.  
Sicut Evangelista ideo non dixit: verbum erat  
καὶ ἦν ὁ Θεός, sed πρὸς θεόν. Ita hoc loco dicit, non,  
εἰς κολπῷ, sed εἰς κολπὸν Patris. Quod si verba hæc  
omnia accipiantur Baptista esse, manifestum inde  
erit, quomodo Baptista auditores suos ad  
personam & doctrinam Christi deduxerit & ab-  
legarit. Manifestum etiam inde est, quomodo  
Baptista vocem Patris: Hic est filius meus, intel-  
lexerit, ac quomodo eam explicabit: quod bene  
notandum est. Nam ante manifestationem  
Christi, Baptista non tam dilucide de divinitate  
Christi locutus est, sed ex voce paterna, i. quæ de  
cœlo sonuit, hanc doctrinam didicit, quam dili-  
genter etiam postea tradidit & declaravit.

Hæc igitur sunt capita testimoniæ, quod Baptista  
clamando de Christo, post ejus manifestationem  
in Baptismo factam, per quadraginta illos  
dies divulgavit, quod occasionem præbuit sequenti legationi Hierosolymitanæ.

## C A P U T X X I .

CONTINENS HISTORIAM LEGATIONIS A SYN-  
EDRIO HIEROSOLYMITANO AD BAPTISTAM  
MISSÆ, JOHANN. I.

## R A T I O O R D I N I S .

**J**OANNES Evangelista hanc histo-  
riam non tantum subjungit &  
annecit superiori: sed & postea ad-  
dit talem notationem, qua mani-  
festè tempus, quando legatio illa  
missa fuit, indicat. Altera enim die, vel postri-  
die, post missam & auditam illam legationem,  
dicit Evangelista, Christum ex deferto rever-  
sum, ad Iordanem venisse. Unde id, quod ante  
annotavimus, confirmatur, per quadraginta il-  
los dies, quibus Christus adfuit in deserto tenta-  
tus, Baptistam interea clamando, hoc est, plena

& sonora voce testificatum, Messiam jam esse  
exhibitum & manifestatum: Quæ prædicatio  
occasionem dedit ad illam legationem. Cumque  
Christus, impletis quadraginta illis diebus,  
& consummata omni tentatione, in itinere jam  
esset ex deserto, pridie, priusquam ad Iordanem  
in conspectum Baptistæ rediret, historia illa le-  
gationis Hierosolymitanæ accidit. Altera  
enim die post, Baptista videt JESUM venien-  
tem ad se. Hæc igitur ratio ordinis & manife-  
sta & certa est.

HISTORIA DE LEGATIONE AB HIEROSOLYMIS AD BA-  
PTISTAM MISSA, CONTINENS SECUNDUM TESTI-  
MONIUM DE CHRISTO JAM MANIFESTA-  
TO, JOHAN. I.

19. Καὶ αὐτὴν ἡ μαρτυρεῖσα Σιωάννη στέλπει λαον  
οἰχεδαῖοι ἐξ Ἱερουσαλήμ μετερχεται καὶ δεῦται, ἵνα  
ἔρωτον αὐτὸν Σὺ πώς εἶ;

20. Καὶ ἀμολόγησε, καὶ εἰ πρήστας εἰ μὲν ἀμολόγησεν  
Οπεῖς εἶμι ἔγω οὐχισός.

19. Et hoc est testimonium Iohannis, quando miserant  
Iudei ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas, ut  
interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, & non negavit: & confessus est,  
inquisiens: non sum ego Christus.

21. Καὶ ἤρωτον αὐτὸν, Τί ἐστιν ἡλίου, εἶτα; Καὶ λέγει· Οὐκ εἰμί· Οὐχ οὐρανοῦ εἰ σύ; Καὶ ἀπεκρίθη· Οὐ.
22. Εἶπον ἐν ἀντῷ· Τίς εἶ; ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν τοῖς πάνταις οὐρανοῖς· πάνταις τοῖς γενέσις;
23. Ἐφη· Εγώ Φωνὴ Θεῶντος· οὐ τῇ ερημῷ· Εὐθύνατε τὴν ὄδον Κυριού· καθάδις εἴπεν Ησαΐας ὁ προφήτης.
24. Καὶ εἰς ἀπεισαλμένοις ησαΐας ἐκ τῶν φαρισαίων·
25. Καὶ ἤρωτον αὐτὸν, καθέπιον αὐτὸν· Τί ἐστιν βαπτίζεις, εἰ σὺ ἐπειδὴ Χριστός, ὥστε Ηλίας, ὥστε ὁ προφῆτης;
26. Απεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ιωάννης, λέγων· Εγώ εαπέριζω· εἰνίοντας μέσον τῆς ὑμῶν εἰσηκεν ὃν ὑμές ἔχετε·
27. Αὐτὸς δὲ οὗτος, ὁ ὀπίστω μετέρχομενος, οὐ εὑμαροδέν μη χρησεται· οὐ τὸν εὐκαρπὸν αὐτοῦ, οὐταντὸν τὸν μαρτυρικὸν τὸν διδόμαται.
28. Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ εἰδιέθει πέραν τῆς Ιορδάνης, ὅπερ λῦταντος βαπτίζει.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dicit: Non sum: Es tu Propheta illle? Et respondit: Non.
22. Dixerunt ergo ei: Quis es? ut responsum demus hiis qui miserunt nos: Quid dicas de te ipso.
23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Iohannes Propheta.
24. Et qui misserunt, erant ex Pharisaeis.
25. Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neq; Elias, neq; Propheta illle?
26. Respondit eis Iohannes, dicens: Ego baptizo aqua: sed in medio vestrum sit, quem vos nescitis.
27. Ipse est, qui quum me sequeretur, antecessit me: cuius ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.
28. Hec in Bethabara facta sunt trans Jordanem, ubi Iohannes baptizabat.

### Periocha hujus Historiae.

**E**x ratione ordinis seu consequentiae hujus Historiae rectè colligitur, quæ fuerit occasio & causa istius legationis. Antea docuerat Baptista, adventum Messiae de propinquo instare, & se ipsi mox subsecuturo viam parare. Et quia publicè apud omnes constabat, tempus Messiae, sicut in vaticiniis Prophetarum, præcipue Patriarchæ Iacobi, & Prophetæ Danielis, designatum erat, vel abesse, vel certè nō procul abesse. Pharisæi igitur, licet consilium Dei spernabant, nec baptimum Iohannis susciperent, Luc. 7.v.30. tamen in principio non auli fuerunt doctrina & ministerio Baptista manifeste se opponere. Undique enim magnus concursus totius populi erat ad Joannem, & propter jugum Romanorum & Herodis, ardens tunc erat desiderium aduentus Messiae. Et huic populi desiderio Pharisæi simulabant se favere; Nihil tamen de instituto illo Baptista vel movere vel constitui, sed eventum expectare voluerunt. Cum vero ea, quæ in manifestatione Christi in Baptismo conigerant à multis, qui interfuerant, divulgarentur: cumque post manifestationem Christi in Baptismo factam, Iohannes magna asseveratione & sonora voce proclamaret, Messiam exhibatum jam venisse, & manifestatum esse. Et quidem cum de persona, de officio, & de doctrina Messiae manifestati ita, sicut in precedente historia dictum est, testificaretur. Idque non semel, sed per totos quadraginta illos dies, clamando & docendo. Moti igitur tandem fuerunt & illi, qui tunc ad gubernacula Reipublicæ & Ecclesiæ populi Israël sedebant, & rem ad publicam ac solennem deliberationem totius synedrii seu consistorii deduxerunt. Quomodo enim & qua auctoritate legatio illa instituta fuit, Evangelista indicat, nominando illos, & qui missi, & a quibus seu quorum nomine missi fuerunt: (Iudei, inquit, à Hierosolymis miserunt,) Iudei autem vocari cœperunt, cum regnum Israël incaptivitatem abduceretur. Sub Achaz enim primum appellatio illa legitur, 4. Reg. 16. vers. 6. Antea vocabatur domus Iuda, & de illis

intelligebatur, qui erant de tribu Iuda, 2. Reg. 1. v. 4. & 3. v. 10. Postea sub Roboam etiam tribus Benjamin accessit, & vocabatur regnum Iuda. Reliquæ decem tribus vocabantur Israël, 3. Regum 12. v. 17. Sed postea facta est appellatio generalis eorum, qui ab Abrahamo descendentes Mosaicam religionem profitebantur. Et propter promissionem Messiae, qui ex tribu Iuda promisus erat & sperabatur, hanc cognominationem postremis temporibus libenter usurparunt: sicut & in historiis Novi Testamenti ita generaliter usurpat, quando Judæi & Græci opponuntur. Quæstio igitur est, quid Evangelista intelligi velit, quando dicit, legationem illam à Iudeis missam. Quidam existimant, id est hoc positum esse ab Evangelista, ne putetur, à Prælido & ab aliis, penes quos nomine Romanorum tunc summa rerum erat, sed à Iudeis solis, quibus Romani αἰΓονούμιαν in negotiis religionis concederant, missam hanc legationem. Sed Evangelista non tantum nominat Iudeos, sed dicit, Iudeos ex Hierosolymis, ut declareret, quid velit. In singulis enim civitatibus constituti erant Iudices de causis minoribus: sed in Hierusalem summum erat συνέδεσον, pro causis gravioribus, 2. Paral. 19. v. 8. Deutero. 17. v. 9. ibi erant septuaginta Iudices ex domo Davidis. Et hos Lyra hoc loco intelligit vocari Iudeos ab Hierosolymis. In historia passionis vocatur γερουσία πρεσβυτεροί. In questionibus vero fidei & causis religionis adjuncti erant Sacerdotes & Levitæ, Deutero. 17. v. 9. & 2. Paral. 19. vers. 8. Porro quomodo Sacerdotibus postea adjuncti fuerint Pharisæi, Scribæ & Legisperiti, quorum opera in hujusmodi causis utebantur, exposuimus in historia Magorum. Iohannes igitur, quando nominat (Iudeos ex Hierosolymis, & Legatos, Sacerdotes & Levitas,) quodque legati illi fuerint (ex Pharisæis,) quæ secta inter Iudeos præcipue & laudatae auctoritatis erat, notat: legationem fuisse gravissimam, ac simul ostendit, à quibus legatio illa decreta fuerit. Atque ita significat congregata.

gregatum fuisse totum Synedrion, & universale, ut nos loquimur, populi hujus Concilium coactum, & ibi rem illam deliberatam fuisse. Quod propter historiae gravitatem diligenter notandum est. Pertinebat enim ad ipsorum officium inspectio, ne in forma doctrinæ & cultus, præter aut contra Legem, aliquid privata alicuius auctoritate mutaretur. Et Doctores solitos fuisse potestatem docendi à Concilio illo accipere, ostendit & hæc historia, & Matth. 21. v. 23. Quis tibi dedit hanc potestatem? ac historia Pauli Act. 9. v. 2. Potest autem aliquo modo colligi, quales fuerint deliberationes. Johannes diffensionem fecerat à templo & à Synagogis: alia utebatur forma doctrinæ, quamque vulgo tunc recepta erat: & novam incoaverat ceremoniam Baptismi. Non autem simpliciter hoc tantum nomine Baptistam accusant, quod absque Synedrii auctoritate haec faciat: sed interrogant: An sit Messias, vel Helias: quia doceat baptismum poenitentia in remissionem peccatorum. Sine dubio igitur in Concilio hoc tractatum fuit: quod Prophetæ prædixerunt, fore, ut veniente Messia nova lex & novum verbum exiret, Deut. 18. v. 18. Isa. 2. v. 3. & fons seu baptismus aquæ in remissionem peccatorum tempore Messiae insinueretur: sicut vaticinia Prophetarum insinuare videntur, Ezech. 36. v. 25. & 47. v. 1. Zach. 13. v. 1. Hoc igitur prætendunt. Nobis mandata est inspectio, ne sub prætextu Messiae populus impostura aliqua circumveniatur. Explorandum itaque est, quale sit illud Baptista institutum. Quod si probare posuerit, se esse vel Messiam ipsum, vel Eliam, vel Prophetam, toleratur erant hanc novationem. Meminerant enim, quid de doctrina & de baptismo Messiae prædictum esset. Si vero non posset probare, quod vel Messias vel Helias esset: cogitabant, publica Synedrii auctoritate decerne, non licet ipsi docere, & tradere baptismum poenitentia in remissionem peccatorum. Ut igitur majori specie & auctoritate hoc facerent: decernunt publicam legationem cum certis mandatis ad Baptistam. Et legatos mittunt, non ministros suos, sicut Johann. 7. v. 45. & Matthæi 22. v. 16. Sed Sacerdotes & Levitas: eosque non idiotas aut gregarios, sed (*qui erant ex Pharisæis.*) Quando hoc modo circumstantia considerantur, intelligi potest, quam splendida fuerit hæc legatio: Et quam præclarum, ac insigne sit testimonium Baptista de Christo jam manifestato, quod proclamavit non coram promiscuo tantum vulgo, sed apud publicam gravissimam totius Synedrii legationem. Et (*in Bethabara, ubi Johannes baptizabat:*) hoc est, in publico loco, ubi magna hominum frequentia erat, hæc gesta fuerunt. Latissime igitur celeberrimum hoc testimonium Baptista de Christo manifestato sparsum fuit.

His præmissis, tota historia facilius intelligi poterit. Quod itaque Evangelista dicit, *καὶ οὐνόματος, sensus est: (Et hoc est) insigne & celebre illud (testimonium Joannis:)* vel ut præcedentibus ita connectatur: Est & hoc testimonium Johannis. Quod autem sequitur: (*Ue interrogarent eum, Tu quis es?*) sensus est, Legatos

exposuisse Johanni, se habere in mandatis à Synedrio, ut interroget, quis sit: non sanè quis sit origine, familia, nomine; sed quis sit, quod ad vocationem, officium & dignitatem attinet, in hanc sententiam: 1. Discedis à templo & à synagogis: instituimus novum ministerium doctrinæ & baptismi: cumque de Messia scriptum sit, Deut. 18. v. 18. Ponam verba mea in ore ejus, ipsum audies. & Zacharia 13. v. 1. Erit fons patens in ablutionem peccatorum: rogat igitur Synedrion: quis sit vocatione & officio, quia talem mutationem, non accepta à Pontificibus potestate, incoasti?

Quia vero Johannes ad generalem interrogationem, (*Tu quis es?*) primò respondet, (*Non sum Christus,*) existimat Chrysostomus, opinionem vulgi, quasi Johannes esset Messias, etiam apud Concilium propter præcellentem personam auctoritatem in valuisse, atque ita Baptistam non ad verba, sed ad intentionem Legatorum, & ad vulgi de se opinionem respondisse, (*Non sum Christus.*) Cajetanus existimat, illa verba: (*Ue interrogarent eum, Tu quis es?*) esse generalem descriptionem materie legationis, seu instructionis, ut vulgo loquimur, à Synedrio datae. Quæ vero prima quæstio fuerit, qua ipsi Legati Baptista colligi, scilicet, quod quæsierint: Esne tu Messias seu Christus? Illam vero repetitionem verborum in responsione Baptista (*confessus est, & non negavit, & confessus est, &c.*) quidam ita explicant: Confessus est, quis esset, sed ira, ut sua confessione non negaret Christum, sed magis ipsum confiteretur. Alii ita exponunt: Confessus est, quid non esset, & non negavit, quis esset. Sed repetitiones & Antitheta usitata sunt huic Evangelista. Et hoc loco non sunt otiosa. Significatur enim illa repetitione: 1. Cum multis animos opinio illa occupasset, quasi Johannes esset Messias: quod diligenter, serio, multis verbis & sapientiæ opinionem illam à se removerit. 2. Significatur libertas seu *παραπητια* confessionis: quod non territus Legatorum auctoritate & potentia, vel hæsitari, vel priorem sententiam siue retractari, sive per ambages occultari, sive ambiguitatibus & obscuritatibus involverit: licet offendit Synedrii prævideret. 3. Significatur constantia: cum dignitas Messiae ipsi non à vulgo, sed à Synedrio offerretur, quod non superatus cupiditate gloria, aliter quam veritas se habebat, responderit. Et hoc est: (*Confessus est, & non negavit, & confessus est.*) Quarunt autem secundò: (*An sit Helias:*) propter vaticinium Malachia 4. v. 5. Tertio rogant: (*An sit Prophetæ,*) ex pravo intellectu loci Deut. 18. v. 5. Et quia poltemo addunt: (*Quid dicas de te ipso?*) Tres igitur priores questiones ex vulgi opinionibus videntur proponere: quasi dicant: Esne vel Messias, vel Elias, vel Prophetæ, sicut vulgus de te sentit. Aut si vulgus opinionibus suis errat: (*quid dicas de te ipso?*) Quomodo vero Johannes responderit, le non esse vel Heliam, vel Prophetam, ita explicari poterit: Zacharias Lucas 1. v. 76. dicit: Tu puer Prophetæ Altissimi vocaberis. Et Christus Matthæi 11. v. 9. affirmit, Johannem esse Prophetam; Imo plus quam Prophe-

## HARMONIÆ EVANGEL.

202

Prophetam. Et capite 11. v. 14. & 17. v. 12. dicit, ipsum esse Eliam. Additur autem ibi explicatio, quo sensu Baptista appelletur & Helias & Prophetæ. Quia igitur Johannes hoc loco negat, se esse Eliam & Prophetam: in alio igitur sensu Legati quæsiverunt de Eliam & Prophetam, quæ sicut Zacharias & Christus affirmant, Johannem esse Eliam & Prophetam. Et verisimilis est interpretum sententia, quod ex quarto capite Malachia extruxerint traditionem, quæ vulgo jactata, & Johanni etiam non ignota fuerit: quod Elias Thesbitæ, & aliquis alius ex vetustis Prophetais resurrecturus, & ante adventum Messiae redditurus esset: vel quod olim, sicut & hodie, Judæis credita fuerit παλιγγενεσία, spiritibus defunctorum migrantibus in alia corpora. Constatbat enim Johannem ex Zacharia natum.

Quod vero negat, se esse Prophetam: Chrysostomus & Cyrilus, propter articulum ὡροφῆμα, intelligunt, Legatos quæsivisse, an esset ille Prophetæ, de quo Deut. 18. v. 15. & 18. Ita vero Pharisei sensissent, non eundem, sed aliud fore Messiam, alium Prophetam illum Deut. 18. v. 15. quem fixerunt Messia in gubernatione politica adjunctum fore, ut Regibus. Augustinus sentit: Johannem negasse se Prophetam esse, talem scilicet quales alii Prophetæ fuerunt, qui de futuri vaticinati, Christum à longè ventrum prædixerunt: Cum Baptista officium sit exhibitum, præsentem, & manifestatum Messiam demonstrare, atque ideo sit plus quam Prophetæ. Sunt, qui existimant, Legatos quæsivisse de Prophetæ, hoc sensu: An scilicet Baptista non tantum Doctor futurus esset, verum etiam gubernator politicus, sicut veteres quidam Prophetæ fuerunt: quod scilicet Pharisei in Baptista hoc quæsierint, ut sicut Samuel depositus Saulem, & sicut Jeremiæ dictum est: Mittam te, ut evellas, destruas & plantes regna. Et sicut Elias Baalitas gladio interfecit, 3. Reg. 19. v. 40. & ignem ē cœlo, 4. Reg. 1. v. 10. elicit. Ita Baptista Romanos ex Judæa ejiceret. Christus enim inquit, Joh. 5. v. 35. voluisti ad horam in luce Baptiste exultare. Observetur autem, quod Baptista tali occasione facile, & quidem specie aliqua potuisse casum confessionis ambiguitatibus eludere, sed ut esset exemplar veri confessoris, in casu confessionis noluit ambiguitatibus ludere: sed simpliciter negavit, se ita esse Eliam & Prophetam, sicut ipsi intelligebant.

His auditis Legati animosiores redditi sunt. Conantur enim jam ipsum terrere auctoritate eorum, à quibus missi erant. (*Quis es, ut respondemus iis, qui miserunt nos?*) Quærunt autem de officio seu ministerio ejus, & de vocatione, sed Johannes responder scripturæ verbis: primo ideo ne id quod erat, vel privata vel humana auctoritate sibi arrogare videretur. Secundò ut suam vocationem ita probaret. Nam Isa. 40. 6. expresse de vocatione ejus scriptum est, Vox dicebat clama: & dixi, quid clamabo? 3. Ut ostenderet, officium suum esse non sacrificare, non politica tractare: sed Messiam præsenti viam parare. 4. Ut simul ex Scriptura demonstraret præsentiam Messiae. Qvod vero ad sententiam Isaiae attinet, illa in præcedentibus explicata

est. Contra hanc autem Baptista responsionem Legati nihil opponunt: sed per instantiam interrogant: Cum baptizare, hoc est effundere aquas mundantes, ad tempus & officium Messiae pertineat. Ezechielis. 36. v. 25. Zacharia 13. v. 1. Cur igitur tu, cum non sis CHRISTUS, vel Elias, vel Prophetæ, baptizas? Ibi vero Joannes respondet, de differentia inter suam & Messiae personam: item inter suum ministerium, & inter Christi officium. Et responsio est concisor: alterum enim membrum, quod ad plenam antithesin requiritur, quod scilicet Christus baptizet Spiritu, hoc loco non exprimitur: ideo, quia illam doctrinam Baptista antea sapientus inculcara. Et obseretur, quod ad constantiam Confessionis pertinet, quod Babtista legatis non aliam novam seu peculiarem responsionem tradit: sed quod tantum concisa repetitione se refert ad ea, quæ antea docuerat & plenius explicar. Sicut & in præcedentibus sententia illa de discriminis inter personam Christi & Johannis; de Baptismo aquæ & Spiritus; de solvendis corrigiis: item, quomodo Christus post Johannem venerit, & ante ipsum factus sit, quod ministerii sui efficaciam in solidum Christo tribuat, exposita est, ut non opus sit illa hoc loco rursum repeteret. Nisi quod Baptista hic addit: se non amplius de venturo Messia concionari. (*Medius enim vestrum fuit.*) hoc est, prodidit in publicum, sive in medium, & manifestatus est, sed (*vos ipsum nondum novistis.*) Quidam illud, (*Medius vestrum fuit,*) ita interpretantur, conversatur inter vos, tanquam unus ex vobis, habitu inventus ut alius quispiam homo, Philip. 2. v. 7. ideo vos non novistis ipsum, quanta sit dignitatis & excellentia. Ego vero ex voce paterna, & ex Spiritu descendente novi ipsum, quis & quantus sit. Sed phrasis simpliciter videtur significare, manifestationem Christi, qua in medium prodierit. Sicut Lutherus significantissime haec verba reddidit: *Cum in me ten unter euch getrieben.* Legati vero, quod mirandum est, nihil amplius interrogarunt: quis manifestatus ille Messias, aut ubi esset, quomodo in medium prodierit, & unde Johannes ipsum agnovisset esse Messiam. Sed cum ea, quæ in mandatis habebant, exposuerint, discesserunt. Unde colligitur, ipsos agnitionem Messiae non multum curasse.

Evangelista vero addit notationem loci, ubi haec acta sunt: (*in Bethabara*) scilicet. Aliquoties autem de loco illo & significatione ejus dimicimus, nihil igitur jam repetemus: nisi quod Epiphanius in Alogis legit, in Bethabara, quod est domus verbi seu prædicationis, ut à prædicatione seu ministerio Baptiste loco nomen impositum videatur. Addit autem Epiphanius, quedam αὐτόν γαρ α legere in Bethania, sicut etiam vetus interpres legit. Et Syrus etiam habet, Bethaniam: Sed Bethania sita est non ultra, sed citra Jordanem: nisi quis duas Bethanias fingere velit: sicut Syrus dicit, in Bethania, in transitu Jordanis:

Hæc sit brevis explicatio circumstantiarum hujus historiæ. Doctrina vero quæ in hac historia proponitur, alibi latius explicatur. Nos tan-

gum

tum capita notabimus. Et primo de Conciliis, Synedriis, & de inspectione Ecclesiastica quædam notari possunt. Deinde ex legatione discimus, etiam eos, qui in ordinaria successione & in legitimis officiis sunt in Ecclesia, etiam quando eruditione & auctoritate excellunt, errare posse. Et tunc eos errare: 1. Quando Scripturæ sententias negligunt. Cum enim Baptista allegaret dictum Isaiae de voce clamante, Legati nihil inquirentes, mox ad aliud transeunt. 2. Quando traditionibus plū tribuunt, quam scripturæ: ut traditioni de Elia & Prophetæ plū tribuunt, quam sententia Isaiae de voce clamante. 3. Quando sine Scriptura, immo contra Scripturam aliquid decernunt: ut cum vulgi opinionem sequentes. Johanni obliquè deferunt honorem Messiacum, cum esset ex tribu Levi.

Observetur & hæc doctrina. Magnus fuit concrus totius populi, & quidem ipsi Sacerdotes hac legatione voluerunt ostendere, se summo desiderio expectare adventum Messiacum: sed cum Johannes clamat, Christum adesse, & quidem addit: (*Medius vestrum fiet, sed vos non novis,*) ne verbo quidem Legati inquirunt, quis, aut ubi sit, ut ipsum agnolant & recipient. Ita multi verbis, præ se ferunt, se cupidos esse agnitionis Christi gratia, & salutis: sed quando Christus in verbo & Sacramentis ipsis proponitur & offertur, de applicatione nihil solliciti sunt. Interim alias quæstiones agitant, & tales postea pesimi hostes sunt sanæ doctrinæ sicut Pharisei.

Baptista vero exemplum in hac historia praescribit formam veræ confessionis: 1. Quando confessio postulatur, necessariò edenda est, sive amici sint live hostes, qui eam postulant. 2. Nec spe nec metu mutanda aut inflectenda est confessio. 3. Non ita instituenda est confessio, ut, quando unum confitemur, alterum videamur negare: sed ita moderanda est, ut simul confitemur, & reliquos articulos non negemus. 4. In confessione non est ludendum occultationibus & ambiguitatibus: sicut Baptista potuisse facere Elia & Prophetæ.

Eft & hæc doctrina in hac historia: Quid faciendum sit, quando auditores hærent in persona ministrorum, & illis nimium tribuunt, ut scilicet opponatur descriptio ministri: Ego tantum sum vox clamantis, parate viam Domino. Item: Ego baptizo aqua. Efficacia vero soli Christo tribuatur, ita ut etiam qui maxima dona habet, dicat: Non sum dignus calceamenta solvere, hoc est, sicut Paulus inquit: Qui plantat nihil est, & qui rigat nihil est, sed qui dat incrementum, Deus, 1. Cor. 3. v. 7. Officium igitur veri ministri est, auditores non in sui admiracionem pertrahere, sed ad Dominum ducere: & quidem si animadvertis, auditores sibi plus quam æquum est, addictos esse, quid faciendum sit, Johannes exemplum docet.

Colligitur etiam ex hac historia, quales habuerint Pharisei imaginationes de regno Christi. Querunt enim de tali Messia, qui adjunctum libi in gubernatione habeat Eliam cum gladio: Prophetam aliquem, qualis Moses fuit contra Pharaonem. Ita enim locum Deuter. 18. v. 15. intellexisse evidenter.

Porrò solet etiam in hac historia agitari quæstio, de vocatione, quando illi, qui sunt in ordinaria successione, hostes sunt vera doctrinæ, Johannes enim probat, se habere veram vocationem, licet a Pontificibus non acceperit potestatem docendi, quia Isa. 40. v. 7. scriptum est, vox dicit, clama: vocationem igitur habet immediate divinam. Alibi vero rationem reddit, cur discessione fecerit a templo, a synagogis, cum inquit: progenies viperarum. Non enim debet fieri discessio ab ordinariis doctoribus, nisi mandato divino, propter doctrinæ impietatem. Et qui verbum Dei docet, ac ab Ecclesia, juxta præscriptum Pauli, legitime vocatus est: is legitimam habet vocationem, & verus minister Dei est, licet potestatem docendi ab impiis verbi Dei hostibus non acceperit. Sed hujus quæstionis plenior explicatio alterius instituti est.

## C A P U T X X I I .

CONTINENS HISTORIAM, DE REDITU CHRISTI  
EX DESERTO AD JORDANEM, ET TERTIUM TESTIMONIUM  
BAPTISTÆ DE CHRISTO MANIFESTATO, QUOD PRIMUM  
EST DE CHRISTO JAM PRÆSENTE.

## R A T I O O R D I N I S .

**P**OST consummatas in deserto tentationes Christi, Matthæus & Marcus statim digrediuntur ad descriptionem captivitatis Baptistæ: quæ tamen non statim, sed interjecto ferme annuo tempore, & interpositis multis aliis historiis, insecura est. Lucas vero post historiam temptationum Christi subjicit: (*Et reversus est JESUS virtute Spiritus in Galileam,*) quod Epiphanius contra Alogos ita accipit: quasi Christus ex deserto recta reversus sit

in Galilæam, in patriam educationis, Nazaretham: Quodque ex Galilæa post dies quatuordecim redierit ad Jordanem ad Johannem, sicut Joh. 1. v. 29. describitur: sed propter illam Lucæ clausulam, non est opus dicere, Christum ex deserto redisse non ad Jordanem, sed in Galilæam, & post commemorationem quatuordecim dierum ex Galilæa redisse rursus ad Johannem, quod nullus Evangelistarum dicit. Ut enim maximè verba Lucæ ita accipiuntur, quod ex deserto reversus sit